



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 102. Papa relictas Cardinalis pecunias sibi vendicans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

dere debuisset. Cor ejus depositum fuit Lugduni in Ecclesia Coelestinorum, ubi ad latus dextrum aræ Principis hodie vera illius effigies visitur: Cadaver autem Rothomagum delatum jacet in tumulo retro ad chorum templi Cathedralis, ibique Epitaphium quatuor versibus latinis expressum hodieum legitur (\*). Ipse quoque Ludovicus Rex illius exequias præsentia sua honorabat, Viri jacturam non sine magno luctu deplorans. Ejus obitu diffidia Papam inter & Regem componenda continuo credebantur, Julius vero non modicam exinde concepit lætitiā, eamque adeo dissimulare non poterat, ut illam etiam coram Oratore Veneto testatam faceret.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1510.

Bembol 10.  
Mezer. Synop chron.  
vit.  
Lud XII.  
t. 4. p. 171.

§. CII.

*Papa relictas Cardinalis pecunias sibi vendicans.*

Ceterum ex hujus Cardinalis morte jur-  
giis Ludovici Regis adversus Ponti-  
ficem novum accessit augmentum; Am-  
basianus enim, ut fertur, trecenta ferme  
aureo-

Belcar. rer.  
Gallic. l. 12.  
num 3.

(\*) Hæc Inscriptio ita sonat:

Pastor eram Cleri, populi Pater, aurea sese  
lilia subdebant, Quercus & ipsa mihi.  
Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores,  
At virtus mortis nescia, morte viget.

**Sæcul. XVI.** aureorum millia reliquerat, cum igitur  
**A. C. 1510.** has pecunias spoli jure postularet Pontifex, Rex vero negaret, novum indignationis, vel saltem querelæ argumentum Julio inde enatum est (\*).

## §. CIII.

*Novum Fœdus Cæsarem inter & Galliarum Regem.*

*Ferron. in Lud. XII.*

Sub idem tempus ambo exercitus ex Germanis, Gallisque conflati continuis velitationibus Venetos in Patavino ac Vicentino agris fatigabant, ac nonnullas urbes ad deditionem compellebant, interea vero Cæsarei exercitus, qui lentius incedere videbatur, adventum præstolabantur. Ceterum Maximilianus non ita pridem novum cum Ludovico Rege fœdus pepigit, quo cautum, I. Galliarum Rex non nisi ordinarios belli sumptus penderet; II. Calvimontius in Veneta continentis ditio- ne usque ad decimam quintam Augusti hæreret, indeque nonnisi evoluto hoc temporis intervallo Galliarum copias educeret; III. Ludovicus Maximiliano cen- tum

---

(\*) Cum hic Cardinalis Lugduni in Galliis mortuus fuerit, ibidemque Papis, eorumque Legatis, nequidem decimas pro bello Turcico colligere licuerit, quis credat, Papam tam opima spolia petare ausum?